

22. Amor adulēscēntium (cap. I–XIX)

Iūlius in peristylō suō magnificō, quod columnīs et signīs deōrum ōrnātur, cum amīcō suō Cornēliō loquitur.

“Certē tū vir beātus es, Iūli”, inquit Cornēlius, “nam villam magnificam possidēs cum magnā familiā atque uxōre pulcherrimā.”

Iūlius: “Mea uxor nōn pulchrior est quam tua. Tū quoque es vir beātus, Cornēli, quamquam tibi nōn tanta villa atque minor familia est. Neque enim eae sunt rēs quae hominēs beātōs faciunt.”

Ad hoc Cornēlius “Ita est ut dīcis”, inquit, “sed vir pauper ā fēminīs dīvitibus nōn amātur neque virgō pauper amātur ā virīs dīvitibus!”

Iūlius: “Immō ego adulēscēns dīves virginem pauperem amābam – nec vērō ab eā amābar! Numquam ab eā salūtābar, epistulae ac flōrēs, quōs ad eam mittēbam, ad mē remittēbantur. Itaque trīstis eram ac miser. Parentēs meī multīs modīs mē dēlectāre cōnābantur, optimum cibum mihi dabant, sed ego paulum edēbam et nocte male dormiēbam.”

Cornēlius: “Cūr illa virgō pauper tē adulēscēntem dīvitem nōn amābat?”

Iūlius: “Quia alium virum dīvitem amābat – nec vērō ab illō virō pessimō amābātur, quod virgō pauper erat!”

Cornēlius: “Quae erat illa virgō pauper?”

Iūlius: “Erat Aemilia, quae nunc uxor mea est ac mē nec ūllum alium virum amat. Hodiē beātī coniugēs sumus.”

Cornēlius: “Ego quoque adulēscēns virginem pauperem amābam, neque putābam mē ab eā amārī quia ipse pauper eram. Sed illa mē nec ūllum alium virum amābat – ac nunc uxor mea est. Nōs beātissimī sumus coniugēs, quamquam dīvitēs nōn sumus. Uxor mea mulier est optima ac pulcherrima.”

Iūlius: “Uxor tua nōn melior neque pulchrior est quam mea Aemilia!”

23. Dē novō infante (cap. I-XX)

Aemilia, quae iam duōs filiōs et ūnam filiam habet, novum infantem exspectat. Illa alteram filiam habere vult, sed marītus eius Iūlius magis gaudēbit sī filium habēbit, quamquam dicit 'sē velle filiam habere.'

Herī Iūlius nesciēbat uxōrem suam novum infantem exspectāre, quamquam vidēbat eam minus gracilem esse. Nunc autem intellegit Aemiliam nōn propter cibum crassiōrem fierī!

Iūlia parentēs dē 'alterā filiā' loquentēs audit, atque ita scit dē novō infante. Neque vērō gaudet Iūlia, nam sōla vult tōtum amōrem parentum sibi habere! Verba Aemiliae dē parvulā sorōre quae aequē amābitur eam nōn satis cōsōlantur.

Mārcus et Quīntus dē infante quī exspectātur nesciunt. Iūlia autem dē hāc rē tacere nōn potest. Frātrēs vocat et iīs "Audīte!" inquit, "Mox ego nōn erō sōla puella cum duōbus puerīs. Post paucōs mēnsēs mihi soror erit."

Puerī statim ad mātrem adeunt eamque interrogant: "Estne vērum quod dicit Iūlia? Sorōremne habēbimus?"

Aemilia: "Certē novum infantem habēbō, sed filiumne an filiam, nēmō scit. Vōsne frātrem an sorōrem habere vultis? Nōne laetābiminī sī alteram sorōrem habēbitis?"

Mārcus: "Ego parvulis infantibus nōn dēlector. Semper in cūnīs iacent, mēcum lūdere nōn possunt, nihil dīcunt, sed magnā vōce vāgiunt!"

Aemilia: "Nōlī ita loquī, Mārce! Ante octō annōs tū ipse in cūnīs iacēbās ac vāgiēbās nec cum aliīs puerīs lūdere poterās."

Quīntus: "Ego nōn frātrem, sed sorōrem volō, etiam sī filia illa parvula sōla ā mātrem cūrābitur, nōs liberī māiōrēs nōn cūrābimur!"

Aemilia: "Vōs omnēs bene cūrābiminī, etiam sī filiōlam habēbō. Nōlīte timere!"